D. O. M.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-quinto Martii, anni M. D C C. X X X V I.

M. PETRO MALOET, Consiliario & Medico Regis ordinario, necnon Domûs Regiæ Invalidorum Ducum & Militum, Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Doctore Medico, Præside.

An Chirurgia pars Medicinæ certior?

I.

CHIRURGIAM esse partem Medicinæ, nemo re attentè perpensâ inficiabitur. Hæc à mundi incunabulis ab Altissimo creata, ut præsens sanitas conservetur, amissa restituatur, nullum non movet lapidem, variâque utitur methodo, ut suum assequatur finem. Nunc victu rectâque rerum vitæ necessariarum administratione, aliàs medicamentis, quandoque manu morbis medetur. Quovis modo hoc exequatur, optatam attingit metam, & à se nusquam diversa est, quæ semper ad eumdem collimat scopum; imò mutila & manca esset, si harum methodorum aliquâ destitueretur. Hinc non minori diligentiâ priscis temporibus Medici, præsertim Parisienses, Chirurgiam excoluerunt, & etiamnum excolunt, quàm Diæteticam & Pharmaceuticen. Hinc tanta fuit eorum solertia in perscrutandâ & promovendâ Anatomiâ, ut inventis eam ditarint innumeris, de illâ libros ediderint quàm plurimos, posteritati proficuos, & omnes alias Europæ scholas ad simile studium excitaverint. Hinc pari sedulitate Anatomiam & Chirurgiam docuerunt & adhucdum docent, quâ cæteras Medicinæ partes, quotannis Theses Chirurgicas disputationi publicæ in suis Scholis exponendo, theatrum Anatomicum publicum ædificando, in illo plures sectiones Anatomicas instituendo, & operationes Chirurgicas celebrando, non diffitentibus Chirurgis, qui in partem operis cum Medicis in eorum scholis venientes, se partem quoque Medicinæ exercere profitentur. Dubio procul, inquiet aliquis, Chirurgia est Medicinæ pars, at saltem illa cæteris præstat certitudine: Quid enim? tota versatur circa objecta sensibus obvia: non aggreditur Chirurgus, nisi quæ sunt fidelibus oculis subjecta, & sub tactum cadentia: non secat, nisi ubi vult, & quantùm vult: seu curam suscipiat vulnerum, ulcerum, tumorum, carierum, fracturarum, luxationum; seu ad aliquam earum, quæ vulgò dicuntur Chirurgicæ operationes, sese accingat: suum semper oculis manuque ducibus opus exequitur. Contra Medicus morbis incumbit, qui visum æquè ac tactum fugiunt, quosque nonnisi conjecturis signisque fallacibus, aut saltem dubiis consequitur; medicamenta præscribit varii & incerti effectûs, quæ regere vix potest, quorumque vim nec retundere, si violentior, nec augere, si remissior, potis est. Hæc oggerunt iniqui rerum æstimatores, aut parum perspicaces, aut qui rem perfunctoriè & cortice tenus intuentur. At si eam, penitiùs scrutantes, ad trutinam revocare velint, quàm longè à vero discedant, reperient: & Chirurgiam, licet magis sensibilem, cum in judicando, tum in operando, nullâ aliâ Medicinæ parte certiorem, & fortè omnibus aliis minùs certam esse, intelligent.

II.

JUDICIA Chirurgica, ut ab illis exordium ducatur, circa morborum Chirurgicorum vel diagnosim, vel prognosim, vel medicamenta his adhibenda,

vel Chirurgicarum operationum necessitatem, vel denique earum modum versantur. Sed tantùm abest ut horum judiciorum fida comes sit semper certitudo, ut potiùs errorem socium sæpenumerò habeant. A morborum Chirurgicorum diagnosi ut initium faciamus; quis tantisper in Chirurgiâ exercitatus illam esse certam asserere audeat? Nonne plures morbi Chirurgici ita sunt Cimmeriis, ut ita dicam, tenebris obvoluti, ut tactûs & oculorum, etiam lynceorum, aciem fugiant, & non detur eorum cognitionem assequi, nisi fallacibus conjecturis? In capitis morbis v. g. an cranii fracturæ, quas nullus tumor, vulnus nullum comitatur, signis certis & univocis dignosci queunt? An rima in interiore cranii tabulâ facta, illibatâ remanente exteriore, ut aliquando evenit, indiciis se prodit certis & indubitatis? An à simplicibus cerebri commotionibus, sanguis intra cranium effusus, sui notas exhibet certas? An inter Chirurgos convenit de repercussibus, aut contrafissuris, quas alii fictitias & impossibiles contendunt, alii possibiles, & naturæ consentaneas affirmant? An, posito quod dentur, distinctè, clarè & certò percipi possunt? An abscessus, ab ictu, aut casu in cerebro geniti, semper sui existentiam, quam menses integros quandoque celant, & locum, quo degunt, testantur? Jam in morbos pectoris Chirurgicos si inquiramus, illi non certiori subjiciuntur diagnosi, quàm qui sunt capitis. Non enim semper certa est, quæ sanguinem, pus, aut aquam in cavitate pectoris collecta indicare videtur: ideoque rara admodum est Empyematis operatio, (licet non adeo infrequentes sint morbi recensiti) & ita tardè suscipitur, ut nonnisi ægro ad suffocationis periculum adacto, infausto ut plurimùm eventu celebretur. Nec thoracis vulnera, utrùm in ejus cavitatem penetrent, necne, semper proclive est judicatu; quo fit ut, dum illud imperiti Chirurgi curiosè nimis indagare satagunt, specillum temerè in ejusmodi vulnera immittentes, illa gravia, complicata & lethalia plerumque reddunt, quæ per se levia erant, simplicia, & curatu facilia. Sic aliquot abhinc annis, quum miles quidam in parte anteriore pectoris ense vulneratus esset; illi ex parte oppositâ, posteriore nempe, alterum vulnus est observatum; quod quum vidisset Chirurgus, illico, quæ duo esse vulnera videbantur, unicum tantùm, atque idem & continuum constituere judicavit; de quo ut certiorem se & alios faceret, ad vulnus anterius jam admoto, & in illud penè inserto specillo, ut id ad vulnus posterius, pectus trajiciendo, perduceret, ensis vestigium, non sine ægri lacrymis & ejulatibus, quæritabat: quo à Medico observato, hic ut ab hujusmodi tentamine, aut potiùs carnificinâ abstineret auctor fuit, ne viam quærendo, quæ forsan non existebat, ægri damno potiùs faceret, quàm inveniret; in quam sententiam quum itum fuisset, opusque naturæ commissum, hæc sibi soli relicta ambo vulnera, simplici apparatu curata, octo dierum spatio ad cicatricem, & ægrum ad sanitatem perfectam perduxit, qui imprudenti illâ, intempestivâ & malè curiosâ investigatione, aut morti occubuisset, aut saltem diu & lethaliter ægrotasset. Paulo post hunc casum Militaris quidam Hibernus, ex Centurionum numero, quum ab uno ex sociis suis pluribus ictibus ensis summè teretis in pectore vulneratus fuisset, Chirurgus alter hæc omnia vulnera leviter immisso specillo, non penetrare thoracem, ideoque omnis periculi expertia esse, pronuntiavit; quum vero subinde ad ægrum vocaretur Medicus & illum graviore singultu cum pulsu summoperè debili capiteque valdè gravato, & sopore obruto tentatum, observaret: quæ symptomata Chirurgus ebrietati, de quâ quidam rumor erat, referebat; nihilominus Medicus illa funesta & lethalia esse declaravit, ægrique rebus ut, quantùm & quàm ptimùm fieri posset, consuleretur, censuit & monuit, eventu prognosticum confirmante; Postridie enim è vivis excessit æger: aperto autem ejus cadavere, diaphragma ab uno ex vulneribus, illoque sinistro thoracis lateri inflicto, saucium repertum est, & præterea eodem ictu hepar, in cujus substantiam pro-

fundiſſimè immergebatur. His duobus caſibus luculenter patet, quàm lubricum ſit de vulneribus thoracis judicium, quàmque ægro periculoſa ſit aliquando eorum indagatio, aut Chirurgo ſine indagatione prævia de his pronuntiatio. Ad morborum abdominis Chirurgicorum diagnoſim quod attinet, idem eſto de illius vulneribus quàm de his thoracis judicium; nimirum, an ejus cavum attingant, necne? aut quæ partes ab illis afficiantur, nempe, an hepar, an lien, an pancreas, an meſenterium, non ſemper certò cognoſcitur? Quod etiam locum habet circa abſceſſus, tumores, in infimo ventre genitos. Nec iſtorum indoles ita eſt perſpicua, ut ſæpe ſæpius non ambigatur, an ad phlegmonis, eryſipelatis, aut cancri naturam accedant, non ſitque facilis in errorem prolapſus, qui nuperrimè nobis accidit erga Monialem. Hæc binos tumores parum à ſe invicem diſtantes, mali magnitudine, alterum renetii, apioli alterum, in regione hypogaſtricâ, quatuor digitis ſupra pubem tranſverſis, ſummo ſtipatos dolore, qui à tactu vel leviſſimo maximè exacerbabatur, à pluribus menſibus geſtabat; hos tumores, quos lenta febris, moleſtæ nauſeæ, vomitus atroces, ingens cibi faſtidium, debilitas ſumma, alvus præter modum quandoque laxa, quandoque ſtricta, aliaque ſymptomata, quæ ægram in lecto detinebant, comitabantur; eſſe cancroſos & incurabiles judicavimus, & nobiſcum cenſuerunt celebres Chirurgi: in quo nos cum his fuiſſe allucinatos ingenuè fatemur; illis enim ægram, ſi non radicitus ſanatam, ſaltem recenſitis ſymptomatis, inter alia, dolore, quod præcipuum eſt, liberam, & ad ſolita munia, non ſine admiratione parique lætitiâ reſtitutam poſtea vidimus, & adhucdum videmus. Si ad Chirurgicorum, quos in ſinu ſuo condit veſica, morborum diagnoſim deſcendamus, illi non raro ita ſunt abditi, ut exploratores etiam ſagaciſſimos fugiant, & in errorem inducant. Sic plures calculo laborare crediti, ut tales ad lithotomiam præparati, & in menſam operariam collocati ſunt, in quibus calculus nullus repertus eſt. In aliis ne minimum quidem illius veſtigium, ſpecillo etiam teſte, deprehenſum eſt, in quorum veſicâ plures exiſtere, cadaveris eorum apertio palam fecit. Ad morborum Chirurgicorum artus infeſtantium diagnoſim quod ſpectat, illa nec certior eſt, nec minoribus difficultatibus ſcatet quàm cæteræ; ſiquidem ea circa horum tumores, fracturas, luxationes, retractiones, qui frequentiores ſunt horum affectus, non ſunt erroris immunes. Hinc ab aliquibus Chirurgis falſum aneuriſma poſt poplitem, pro phlegmone aſſumptum vidimus. Hinc ab aliis tumor levis, cum dolore ſummo ſecundum longitudinem cruris exporrectus, effuſioni materiæ, quæ crure aperto, & uſque ad os ſecundùm eamdem longitudinem inciſo, nulla inventa eſt, adſcriptus eſt. Hinc dolor manus tendinum extenſioni à Chirurgo quodam relatus, quem à cubiti fracturâ exoriri detexit Medicus. Hinc tibiæ plicatura & flexio ſeu retractio continua, pro anchyloſi aſſumpta eſt à Chirurgis, quos vocant majoribus, quæ à tendinum contractione oriri detexit Medicus.

III.

SI in morborum Chirurgicorum diagnoſi tam incerta ſunt judicia Chirurgica, eruntne in illorum prognoſi certiora? nemo eſt, ut puto, qui credat, ideoque parum in iis immorabimur; cùm nullus ſit morbus Chirurgicus, quantùmvis parvus, nulla operatio quantùmcumque levis, quorum eventum felicem ſpondere audeat Chirurgus; & meritò quidem; enim verò à vel leviori cutis laceratione, clavo pedis reſecto, avulſo dente, ſectis linguæ venis raninis dictis, mortem illatam fuiſſe non ignoratur. Illa inciſionem in gingivis ſcalpello, dentium genuinorum eruptioni favendi cauſâ, factam, teſte Tulpio, ſubſecuta eſt. Sed quid tamdiu moror? Quot funera audivimus in Germaniâ & Italiâ ex leviſſimis, ut putabatur, vulneribus orta? Hic ex parvâ tibiæ plagâ, quæ periculo vacare ferebatur, diem ſupremum obiit, ille ab aliâ pectori inflictâ, ex quâ eum ſanatum dicebant, è vivis exceſſit, ille ex levi contuſione de me-

dio ſublatus eſt. Dies me potiùs deficiat quàm eorum qui in duobus ultimis præliis in Longobardiâ commiſſis, à vulneribus levibus acerbæ præda fuerunt libitinæ, numerum abſolvam. Quoad judicia, quæ circa medicamenta morbis Chirurgicis accommoda, verſantur, nihil ea tam incerta probat eſſe, quàm illorum varietas, quæ tanta eſt, ut ſæpe tot diverſa remedia proponantur, quot Chirurgi de eodem morbo Chirurgico conſuluntur. In phlegmone, v. g., hic cataplaſma anodynum proponit, iſte emolliens, hic reſolvens, alter ſuppurans & maturativum. In Eryſipelate, ille oxicratum, hic vitæ, hic calcis aquam, is puram, iſte cum aquâ mixtam, ceratum refrigerans alter, alius radicum altheæ decoctum, alii alia præſcribunt. Circa operationum neceſſitatem, Chirurgiam in ſuis de eâ judiciis incertam eſſe arguitur ex illorum varierate, quæ frequens eſt, in pluribus circa eumdem morbum opinantibus. In quibusdam enim caſibus inter Chirurgos alii, eam operationem neceſſariam affirmant, quam alii non neceſſariam aſſerunt, ut pote qui ſine eâ ægrum ſanari poſſe contendant. In magnis vulneribus brachii, carpi, metacarpi, tibiæ, tarſi, metatarſi, non unanimem eſſe Chirurgorum conſenſum experientia docet. Sæpe enim alii ad ultimum remedium, amputationem nempe membri, tanquam ad ſacram anchoram confugiendum eſſe clamant, alii ab illâ abſtineri debere defendunt; ut multoties accidiſſe notum eſt, ſed præſertim erga generalem caſtrorum præfectum, qui primam aciei inſtructæ frontem tenens, quum vulneratus fuiſſet in tibiâ, hanc plures Chirurgi, qui eum inviſebant, amputandam eſſe pronuntiaverunt: ſed Regius Proto-Chirurgus, huc à Rege miſſus, ſalvari poſſe cenſuit, & hâc ſuâ ſententiâ, (quæ bona ſemper fuit hujus ſummi ducis fortuna,) conſervavit; nam pro eâ quâ valet in Chirurgiæ cum judiciis ſagacitate, tum operibus induſtriâ, illam ſic medicamentis idoneis curavit, ut deinceps perfectè ſanata fuerit. In aliis caſibus alii operatione tolli non poſſe arbitrantur morbum, quatenus incurabilem, à quo alii eâ ægrum ſanandum fore ſibi perſuaſum habent. Aliquoties alios quædam èſymptomatibus morbum comitantibus ab operatione averrunt, quæ ſecundùm alios illi nullatenus officiunt. Sic in Milite quodam, qui ulcera fiſtuloſâ in pede ab oſſibus tarſi & metatarſi carie exeſis producta habebat, febris hæc concomitans Chirurgum, aliunde peritum, à tibiæ amputatione ſic deterrebat, ut ægrum miſeræ ſuæ ſorti relinquendum decreviſſet; quoties autem illi de amputatione tibiæ verba faciebat Medicus, tolle febrim, inquiebat Chirurgus, ego tollam tibiam; cui Medicus: tolle tibiam, & tolletur febris. Dictum factum: Amputata enim fuit Medico auctore, & (ſic poſtulante Chirurgo) ſponſore, tibia, & triduo poſt evanuit febris, quam ſymptomaticam & ab ulceribus pedis productam eſſe judicaverat, ægerque planè convaluit. Aliàs ægroti vires tantillæ ſunt aliquando, aut ſaltem videntur quibuſdam, ut ii illas operationi, alioquin neceſſariæ, impares exiſtiment; dum alii eas pares putant. Sic in viro animi magnitudine, & generis nobilitate illuſtri, qui femoris os magnam partem corruptum & carie ita inductum habebat, ut nulla ſalutis affulgeret ſpes, niſi in cruris amputatione; aliqui ex Chirurgis annuebant, ſed multò plures propter virium ægri dibilitatem, quæ magna erat, renuebant: ideoque diu dilata, & ob id æger in ſummum vitæ diſcrimen adactus eſt; tandem, licet ſerò nimis, Medici conſilio, felici cum ſucceſſu; facta fuit. Quod facit judiciorum Chirurgicorum de operationis alicujus faciendæ neceſſitate varietas, in pluribus circa eumdem morbum opinantibus, ad Chirurgiæ incertitudinem demonſtrandam; numquid idem non faciet error, cui eadem judicia obnoxia ſunt, in unanimiter ſentientibus circa hanc ipſam operandi neceſſitatem? Error, inquam, qui ſæpe nimis accidit, & quem olim obtigiſſe erga exercitûs præfectum jam laudatum, oſtenſum eſt; cùm omnes Chirurgi qui illum inviſerunt, ſolo excepto Regio Proto-Chirurgo, amputandam

esse ejus tibiam, falsò judicaverint. Huic casui ferè similis est alter qui evenit in Milite falsâ tibiæ anchylose supra citatâ detento; hanc enim quum pro verâ, ut supra innuimus, haberent Chirurgi plures, quorum alii seorsim, conjunctim alii consulti fuerant; omnes tibiam affectam amputandam esse censuerunt. Atque adeo æger ad operationem dispositus est, omniaque necessaria præparata fuere, quum Medicus hujus rei monitus, morbumque attentè perpendens, illum non esse veram, sed falsam anchylosim, seu simplicem musculorum tibiæ flexorum contractionem, invenit, ideoque amputationi tibiæ adversatus, ægro balnei aromatici usum præscripsit, quo solo remedio per quindecim dies usurpato, tibia usque adeo flexa, seu retracta & rigida, omnisque extensionis incapax, tum pristinæ suæ extensioni, & molli ad eam facilitati restituta est, ægerque perfectam sanitatem recuperavit, denuò militiæ nomen dedit, & in eam profectus est. (*a*) Circa modum operationes Chirurgicas celebrandi, quum non minor sit varietas, quàm circa earum necessitatem, non minor est quoque in delectu incertitudo, ut & difficultas. Exemplo sit vesicæ sectio calculo laborantis, hanc diversi Chirurgi diversimodè proponunt, & unusquisque eorum methodum sibi familiarem cæteris anteponit. Hic, v. g. à partibus magni, quem vocant, apparatûs stat; isti altum, aut superiorem tollunt ad sydera; illi lateralem omnibus præferunt, & hos inter, alii Ravianam, seu fratris Jacobi, methodum, alii Cheseldenianam omnibus aliis antecellere prædicant; quæ verò primas tenere debeat, adhuc sub judice lis est; tantæ molis est illam dirimere.

I V.

NUNC operationes Chirurgicas, quantumvis necessariæ supponantur, quâcumque methodo administrentur, & à quovis Chirurgo celebrentur, incertas esse, sive quod idem est, incertum esse earum eventum, ostendendum nobis restat. Quod ut faciliùs exequamur, illas in duas Classes dividemus, leves nempe, & magnas. Circa leves, funestus, quem aliquando, licet raro sortiuntur, exitus, satis superque evincit, illas non esse certas; quis enim nescit omnium operationum maximè vulgaris & tritæ, phlebotomiam intellige, infortunia? Quis ignorat tendinum punctiones, inflammationes, abscessus, nervorum læsiones, aneurismata, cum vera, tum falsa, mortes & pericula ex illâ orta. Hinc est quod Chirurgi, qui aliquod sibi nomen compararunt, ab eâ prudentes abstinent. Recens adhuc est misera sors, quam audivimus & supra retulimus habuisse, levem cutis lacerationem, avulsum dentem, excisam verrucam, sectas linguæ venas raninas dictas, ita ut nulla sit operatio tam levis, cujus eventum, in se suscipere audeat sapiens Chirurgus. Ad magnas quod attinet, non est quod diu immoremur in earum incertitudine demonstrandâ; si enim leves non sine periculo instituuntur, id à fortiori verum est de majoribus, queis magna pars ægrorum in quibus fiunt, è medio tollitur. Dubitas? illæ, quæ in bellicis annorum elapsorum expeditionibus factæ sunt, te certiorem facient, quàm pauci ab innumeris evaserint, & stupebis miraberisque, in cujusquam mentem venire posse, non esse incertam, aut etiam Medicinâ certiorem esse Chirurgiam, quæ quamvis ad ægrorum salutem sit comparata, tamen, ut illud iterum dicam, à magnis ejus operationibus maxima horum pars perit. Hæres adhuc, aut exaggerationis insimulas? Nosocomia lustra; ibi à terebratione vix ullum servari comperies: à lithotomiâ è viginti sectis, octodecim quandoque ad plures migrare disces. Mitto alias operationes, amputationes, v. g. castrationem, cancrorum & tunicatorum tumorum extirpationem, +punctionem, illasque, quæ bubonocelæ, empyemati, fistulæ lacrymali, &c, debentur, & quæ licet optimè & secundùm præscriptas regulas gerantur, illis tamen magnam

+ perinæi

(*a*) Huc redeunt casus duorum aliorum juvenum, quorum cùm quisque calcaneum carie erosum haberet, eorum cujusque tibiam amputationi addixerunt Chirurgi plures, quas Medicus præscriptis medicamentis, consumendis planèque destruendis ossibus cariosis aptis, servavit.

ægrorum partem interire compertum eſt. Taceo illas, quæ præpoſterè & contra regulas celebratæ, ægros trucidant, veſicam in ſectione laterali utrinque perfoſſam, id eſt, in fundo forcipibus perforatam, inteſtinum rectum per medium, & in duas partes ſciſſum, urethram tranſverſim ſectam, & à veſica penitus ſeparatam, aut cathetere, falſum tramitem ſibi faciente, pertuſam: ignota aut audita non loquor, ſed viſa. Omitto ægros, ligaturæ malè peractæ vitio, hæmorrhagiâ occumbentes. Sed & res & occaſio poſtulant, ut referamus gangrænam & ſphacelum hujus intempeſtivo metu orta; quod accidit Centurioni cuidam, qui à viginti annis adipoſam in brachio geſtabat lupiam, ponderis levis, & doloris expertem, quam idcirco viginti adhuc annos & amplius geſtare veriſimiter potuiſſet, firmæ enim aliunde erat valetudinis; ſed pondus illud, quamvis leve, ægrè ferens, aut potiùs vitæ, ut credere eſt, pertæſus, hanc lupiam invitis amicis, Medico etiam dehortante, ſibi extirpari voluit, & ſuæ pervicaciæ pœnas dedit, nam perendino ab operatione die, è vitâ exceſſit, ortis, quæ manè prædixerat Medicus, in brachio gangrænâ meridie, ſphacelo ſerotinis horis, à machinâ quâdam, Ad ſiſtendum ſanguinem in membrorum amputationibus excogitatâ, malo hujus Centurionis fato, ſummo ejus brachio applicitâ, diemque integrum & dimidium, reclamante Medico, obſtinatè relictâ ad ſiſtendam, aut potius præcavendam, quæ metuebatur, licet nulla fuerit, nec timenda eſſet, hæmorrhagiam, cùm ſine ſanguinis effuſione & ullius arteriæ, quæ ligari meruerit, apertione peracta fuit operatio. Sileo operationes quæ ſuſcipiuntur, in ægris illis minùs aptis, vel ſine præparatione prævià, aut eâ malè adhibitâ. Mortes enim indè conſecutæ, non Chirurgiæ, ſed Chirurgo debentur; ut obtigit ab amputato brachio, cuidam ægro, qui aſcite & diarrhœâ laborare compertus eſt ipſomet operationis die, quâ deinceps fato functus eſt, & quæ, inconſulto Medico, celebrata fuit à Chirurgo horum morborum inſcio. De his quoque dicere ſuperſedeo operationibus, quibus licet æger non pereat, non ſanus tamen & ſoſpes evadit; dum v. g. ſectâ veſicâ calculus præ mole grandiori, non extrahitur, aut quum illo extracto alter relinquitur, qui poſt ægri curationem, uno aut altero menſe elapſo, tragœdiam renovat, noviſque cruciatibus & operationibus viam ſternit, aut quum uno aut pluribus calculis extractis æger fluxu urinæ involuntario aut fiſtulâ ſuperſtite affligitur; quod idem accidit in pluribus vulneribus aliiſque operationibus, aut quum poſt operationes ani, aut lacrymali fiſtulæ dicatas, alvi fluxus, aut illacrymatio ſequuntur; aut quum, poſtquam demiſſa fuit cataracta, illa in priſtinum ſuum, quod frequens eſt, reponitur locum; aut quum ejus depreſſio inflammationes moleſtas, ophthalmias contumaces, diros dolores atque diutinos, quod frequentius eſt, producit, aut denique, quum, illâ dejectâ, viſus non reſtituitur, quod frequentiſſimum; non loquor de ejus in anteriorem oculi cameram, ut vocant, tranſitu, quia rarus eſt; aliaque bene multa prætereo, ne longior ſim, nulluſque mihi dicendi finis occurrat. Aſt, inquiet aliquis, non eſt vitæ ægrotantis, aut ejus ſanationis, neque ſuarum operationum ſucceſſûs ſponſor Chirurgus, ſed ipſarum concinnitatis, ſuæque peritiæ & dexteritatis in amputando membro, v. g. in extirpando cancro, &c, ideoque, modò illæ operationes peragantur ſecundum præſcripta Chirurgica, nihil ab eo amplius expectandum eſt; neque, ſi moriatur æger, ideo minùs certus eſt peritus Chirurgus ſuarum operationum, ſeque illas ſecundùm artis leges eſſe exequutum, & ab his, quod eſt ſui officii, ne latum quidem unguem receſſiſſe, & in eo ſenſu Chirurgia dici poteſt ars certa. Bone Deus! quis talia audiendo ſe teneat, & à riſu temperet? quaſi vero artis cujuſpiam defectum & incertitudinem aliquid probet magis, quàm inſontem eſſe artificem, quum infauſtum operatio ejus ſortitur eventum? Aut Chirurgia eſſet ars non ſanandi, ſed operandi, & Chirurgus operaretur ad peritiam ſuam ſignificandam,

non verò ad ſanitatem ægro conciliandam? Nonne hoc eſſet de corio humano ludere? Porro quid ad ægrum concinnitas operationis, quâ ille infelix cadit victima? Uno verbo, aut Chirurgus, ſaltem qui ſuo marte agit, operatur ut ſanet, vel non? Si primum? quum non ſanat, fallitur, non eſt enim ſui voti compos, & finem ſuum non aſſequitur. Si ſecundum? fallit, non enim vocatur ut ſolertiam ſuam oſtentet in operando, ſed ut operatione ægrum à morbo liberet. Eſt igitur Chirurgia aut fallax, aut incerta.

V.

BENE quidem, regeret aliquis, ultro fatendum eſt Chirurgiam in iis quæ ſunt praxeos eſſe incertam: ſed hoc non impedit quominus illa certior ſit Medicinâ, omnibuſque aliis ejus partibus. Et hoc eſt de quo nunc agitur. Non obſtantibus enim quæ de Chirurgiâ dicta ſunt, habet illa principia certa, quæ nihil Geometriæ principiis cedunt, quorum applicatio, cùm ſit ſenſibilis, evidens eſt? Sed quî Medicinæ pars in omnibus quæ ſunt praxeos incerta, poterit eſſe certior aliis Medicinæ partibus, quantumcumque illæ incertæ ſupponantur? inſuper; nonne iſtæ habent quoque ſua axiomata certa & inconcuſſa Geometriæ principiis æquiparanda? Nonne hæc certa ſunt in Pharmaceutice, ſeu illâ Medicinæ parte, quæ medicamentis morbis medetur; nempe eſſe ablegandam morbi cauſam, mitiganda illius ſymptomata, conſervandas aut refocillandas ægri vires, tollendam plethoram, evacuandos humores noxios aut redundantes, corrigendam pravam ſanguinis diathesim, compeſcendum illius motum fervidiorem & citatiorem, excitandum tardiorem, reſerandas obſtructiones, conſtringendum quod præter naturam laxum eſt, laxandum quod eſt nimis conſtrictum, &c? Nonne hæc quoque certa ſunt in diætetice, ſeu illâ Medicinæ parte, quæ victu morbos curat, ſcilicet, in morbis acutis diætam tenuem quàm maximè neceſſariam eſſe; appetitu proſtrato, ægros ad cibos nunquam eſſe cogendos; corpora impura, quò plus nutriuntur, in morbis præcipuè, eò magis lædi; in morbis chronicis tantùm ciborum eſſe concedendum, quantùm conſervatio corporis requirit; potum ſufficientem in omni morbo eſſe optimam medicinam; ubi calor, quum maximè urget, ibi potum vini noxium eſſe; in omni morbo aërem temperatum eſſe maximè neceſſarium, ad promovendas ſalutares excretiones; aliaque innumera, quæ, brevitatis cauſâ, omitto. Si quis putat horum axiomatum applicationem eſſe difficiliorem, aut magis incertam, quàm eorum quæ ſunt Chirurgiæ, errat toto cœlo, cùm è contra ſit multò facilior, certior, ejuſque effectus, ut plurimùm, promptior. Reclamas? Ea, quæ ſunt Chirurgiæ, cum iis, quæ ſunt Medicinæ, confer, operationem cum operatione, leve vulnus cum leviore morbo, grave cum graviore, & Medicinam faciliùs, tutiùs, certiùs operationes ſuas edere, quàm Chirurgiam, comperies. Sit, v. g. quid noxium aut redundans in corpore? Præſto ſunt in illâ Medicinæ parte, quæ Diætetice vocatur, diæta tenuis, largus aquæ potus, exercitium moderatum, aëris mutatio, balnea tum frigida, tum calida, hypocauſta, frictiones, carnis-privium, ichthyophagia: in illâ vero parte, quæ Pharmaceutice dicitur, emetica, purgantia, diaphoretica, ſudorifica, diuretica, errhina, maſticatoria, ſimplicia demum & compoſita medicamenta. Porrò in Chirurgiâ, amputatio, paracenthesis pectoris, abdominis, lithotomia, extirpatio, avulſio, caſtratio, inciſio, denique ferrum & ignis. Quaſnam ex his operationibus certiores putas? An Chirurgicas? An Medicas, id eſt, Diæteticas, & Pharmaceuticas? Nonne illas à quibus minùs impendet periculi? Sed ab amputatione cruris minùſne opinaris impendere periculi, quàm à diætâ tenui, aut ab emetico? à lithotomiâ, quàm à largo aquæ potu, aut à purgatione? à paracenteſi pectoris, quàm ab exercitio moderato, aeris mutatione, aut à diaphoreticis? à paracentheſi abdominis, quàm à balneis frigidis, aut à diureticis? à caſtratione, quàm à balneis càlidis, aut à ſudorificis? à cancri extirpatione, quàm à frictionibus, aut à maſticatoriis? ab inciſione, ſive bubonoceles & fiſtulæ operationibus, polypi avulſione, quàm ab hypocauſtis, aut ab errhi-

nis & ſternutatoriis ? á ferro demum & igne, quam à carnis-privio, & ichthyophagiâ ? Rides, & horum collationem non eſſe ſeriam dicis ? Erras : ſeria eſt. Sunt enim, qui seriò Chirurgicas operationes medicis operationibus certiores eſſe affirmant ; quo titulo & fundamento, ipſe judex eſto : Cùm ab emetico, purgatione, diureticis, aut ſudorificis, è viginti ægris, vix unum aut alterum, illoſque ſæpe falsò, audias denatos ; à terebratione vero, paracentheſi, præſertim pectoris, lithotomiâ, amputatione artuum, maximè cruris, vix unum, aut alterum, quandoque ſalvos videas. Quid quod, licet Medicos ſatyrici, hiſtriones & mimi, ridiculi causâ, tanquam interfectores in ſcenam traducant, de Medicinâ tamen illam quemquam occidere nemo unquam dixit, nec jure dicere poteſt, quum nullum ſit medicamentum, quod per ſe non ſit ſalutiferum, & mortem inferat ; ſi verò illud quandoque accidit, quod credere piaculum ducimus, non Medicinæ tribuendum, ſed Medici inſcitiæ, quâ ſalutifera medicamenta malè applicita, lethifera evadunt, quum enim bene applicantur, ſemper innocua ſunt. Idem de Chirurgiâ dici non poteſt, cùm Chirurgiæ operationes, quantumlibet dexterè, & à perito Chirurgo celebrentur, nihilominus tamen ægros ſaltem aliquos, quandoque per ſe de medio tollere negari non poteſt, aliàs diu victuros. Sic noti ſunt multi quos à brachii, aut cruris amputatione, cancri aut lupiæ extirpatione, veſicæ ſectione, aliiſque operationibus Chirurgicis, licet ſolertiſſimè peractis, certò periiſſe conſtat, quoſque pariter diu vivere potuiſſe, ſi Chirurgiæ non litaſſent, conſtabat; num in his operationibus certam fuiſſe Chirurgiam dicent Chirurgicæ certitudinis fautores ? Si dicant : ſaltem de certâ, quam illa intulit, nece, ſe illud intelligere fateantur. Lepida ſanè certitudo artis reſtituendæ ſanitati dicatæ, quâ pluribus vitam adimi certum eſt ! Talem Chirurgiæ nec invidebit, nec ſibi vindicabit Medicina certitudinem. Ergone Chirurgia erit ars, nocens, infida, damnoſa, ideoque rejicienda, & exilio, ſicut olim Romæ, mulctanda ? Abſit talia cogitemus de arte, quæ, cùm ſit Medicinæ pars, Deum habet auctorem, & quæ licet in penè omnibus ſuis operationibus incerta ſit, ſæpe tamen utilis eſt, imò utiliſſima, & ſine quâ Medicina ipſa eſſet clauda, aut potius ſuorum crurum altero deſtituta. Abſit hæc convicia proferamus in artem, quæ cultores habet eximios, ſolertes, ſedulos, ſagacitate & peritiâ claros, quos eò magis laude & æſtimatione publicâ dignos cenſemus, quò pluribus ſunt adjumento, artem incertam exercentes ; tantò enim ſplendidiùs elucet induſtria artificis, abſit verbo invidia, quantò major eſt artis quam profitetur difficultas, & incertitudo. Multum igitur abeſt ut hos quæſtione propoſitâ, aut ejus ſolutione laceſſere, aut ullo modo carpere animus ſit, quin potiùs illos liberamus à fide-juſſione infauſtorum exituum, cùm incertitudinem, cui imputari ſemper poſſunt, & ſæpe debent, aſſignamus Chirurgiæ. Æqui igitur, bonique conſulant, dum illam nihil certi habere præ aliis partibus Medicinæ demonſtramus, & hanc, quæ ex dictis patet, concluſionem elicimus. *Ergo Chirurgia non eſt pars Medicinæ certior.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus-Franciſcus Bourdelin.	*M. Robertus - Hubertus Linguet.*	*M. Alexander-Petrus Mattot.*
M. Antonius-Joannes Duval.	*M. Achilles - Franciſcus Fontaine.*	*M. Petrus - Joannes Burette, Profeſſor Regius, & è Regiâ Numiſmatum Academiâ.*
M. Otto-Caſimirus Barſeknecht.	*M. Joannes-Baptiſta-Ludovicus Chomel.*	*M. Petrus Marais.*

Proponebat Pariſiis, CAROLUS PAYEN, Pariſinus, Baccalaureus Medicus A. R. S. H. 1736. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1736.